

# ALNETANARUM QUÆSTIONUM LIBER PRIMUS.

LEX CONCORDIÆ

## RATIONIS ET FIDEI.

### CAPUT PRIMUM.

**Certior quærenda est ad veritatem via,  
quam Ratio.**

**I.** *Suam habet Ratio lucem, sed obscuram & dubiam.* **II.** *Mens humana per Rationem, pro captu ac modo Rationis, cognoscit Rationem ipsam, Rationisque naturam.* **III.** *Aperitur origo triplicis Philosophiæ, Dogmaticæ, Socraticæ, ac Scepticæ.* **IV.** *Distinguitur triplex certitudo cognitionis rerum; ejus, quæ in celo habetur à Beatis; quæ in terris ab hominibus mortalibus per Fidem, & quæ per Rationem.* **V.** *Mens humana, etsi per Rationem clarissime firmissimeque veritatem non cognoscit, veritatem tamen esse aliquam pro modo suo captuque cognoscit: VI.* *& aliquam ad veritatem viam.* **VII.** *Quatenus in exquirenda veritate adhaerendum Philosophis, qui dubitandi artem profitentur.*

*Suam habet  
Ratio lu-  
cem, sed ob-  
scuram &  
dubiam.  
Jacob. 1, 17.*



**M**ACTA per te, Hameli, in ordinem Ratione, (rem enim à te susceptam & promissam jam factam puto) nunc tempus est, ut legitima ei laus tribuatur. Sic enim habe: lumen hoc *descendens à patre luminum*, ab eoque signatum in hominum animis, splendorem suum retinere: fin secus esset, quid homo tandem differret à cæteris animantibus? nec à Fide omnem Rationis usum atque opem esse removendam; nam si per Rationem homines sumus, an nobis velut abjicienda humanitas est, cum Fide utimur? *Res Dei Ratio,*